

**Periegesis**

seu

**Descriptio Orbis Terrarum**

Rufus Festus Avienus

Qua protenta iacent vastae divortia terrae  
 et qua praecipiti volvuntur prona meatu  
 flumina per terras, qua priscis inclyta muris  
 oppida nituntur, genus hoc procul omne animantum  
 qua colit, Aoniis perget stilus impiger orsis. 5  
 ardua res, musae. deus, en deus intrat Apollo  
 pectora, fatidicae quatiens penetralia Cirrhae.  
 Pierides, toto celeres Helicone venite,  
 concinat et Phoebos vester chorus; Oceanumque,  
 carminis auspiciis, primum memorate camenae. 10  
 Oceani nam terra salo praecingitur omnis,  
 parva ut caeruleo caput effert insula ponto:  
 nec tamen extremo teres est situs undique in orbe,  
 qua colitur populis, qua tellus paret aratro;  
 sed, matutino qua caelum sole rubescit, 15  
 latior, accisi curvatur caespitis arvo,  
 cetera protentus. tria sunt confinia terrae  
 unius: est primum Libyae Europaeque Asiaeque.  
 Aequore ab Hesperio qua se salis insinuat vis,  
 terrarumque cavis illabitur, arduus Atlas 20  
 qua iuga celsa tumet, Libyae sese explicat ora:  
 finis huic Gades, septenaque gurgite vasto  
 ora procul Nili, Phariorum ubi gleba recumbit,  
 et Pelusiaci celebrantur templa Canopi.  
 Europaeque dehinc laevum est latus: at procul ambas 25  
 una Asia, inclinans geminis se cornibus, urget  
 desuper, ac rupti divortia continet orbis.  
 Europam atque Asiam Tanais disternit amnis  
 hic se Sarmaticis evolvens finibus alta  
 scissus Araseo prius aequore, iam suus unda 30  
 effluit in Scythiam: procul hinc Maeotida Tethyn  
 intrat, et inserto freta pellit vasta fluente,  
 Ismaricisque riget semper flabris aquilonis.  
 at qua piscosi gurgis strepit Hellesponti,  
 vis obliqua sali tepidum procumbit in austrum, 35  
 terrarumque trium modus est mare, donec in alti  
 ora procul Nili late Thetis efflua serpat.  
 altera pars orbem telluris limite findit.  
 caespes terga iacens Asiae succedit in oras,  
 immensusque modi protenditur. hic latus artans 40  
 Caspia contingit freta desuper, atque tumentis  
 proximus Euxino est: Asiam conterminus iste  
 Europamque secat. tellus sese altera in austrum  
 porrigit, insertoque sinus interiacet agro  
 aestuat); et Libycis Asiam discernit ab oris 45  
 sic diversa fuit sententia, rite quis orbi

limes haberetur. totum hoc circumlatrat aestus,  
 et maris infesti moles ligat. una furenti  
 natura est pelago, pelagi sed nomina mille,  
 aequor ut innumeris terrarum admoverit oris. 50  
 qua se blanda satis intendunt flabra favoni,  
 Hesperium Oceano mare terras intrat ab alto.  
 axe Lycaoniae rursus facis, atque ubi dura  
 belligeratores nutrit tellus Arimasas,  
 nomine Saturni late iacet aequoris unda. 55  
 hic densata sali stant marmora, pigraque ponti  
 se natura tenet, numquam ruit effluus umor:  
 mortuus hic Graio perhibetur gurges in usu  
 denique, quod lento stupeat plaga salsa profundo,  
 vel quod sole carens pars orbis taetra rigescat. 60  
 vis hebes has oras ardor Titanius afflat,  
 vis evecta dies illuminat, omneque late  
 at qua prima dies rutilo sustollitur ortu,  
 aureus et tremulas late rubor inficit undas,  
 Eoum pelagus, freta dicunt Indica pandi. 65  
 propter Erythraei tenduntur dorsa profundi,  
 Aethiopumque salum diffunditur. hic notus aethram  
 urit, et hic aestu radiorum Phoebus anhelo  
 arva coquit: sterilis regio est, et inhospita late  
 aret humus, cassaeque solo torrentur harenae. 70  
 Oceanus sic cuncta vago complectitur aestu,  
 undique sic unus terras interminus ambit,  
 innumerosque sinus cavat illabentibus undis  
 desuper: e multis celebri sub nomine tantum  
 quattuor infuso late sale terga dehiscunt. 75  
 primus in orbe sinus vasti maris aequora gignit,  
 gurgitis Hesperii: procul hic protentus in ortus  
 faucibus a Libycis aestum trahit, atque ubi laetam  
 caespitem sub pingui pandit Pamphylia glebam,  
 deficit, et curva sinuatur litoris ora. 80  
 alter item est primo brevior, maiorque duobus.  
 hic prolapsus aquaest, boreali fusus ab alto,  
 terga procelloso turgescit Caspia fluctu.  
 Hyrcanum hoc pelagus pars nominat. hinc duo rursus  
 ora patent ponti: geminus sinus aequoris intrat, 85  
 telluremque cavat, qua se notus axe tepenti  
 erigit. horum unus vada longe Persica fundit,  
 Caspia conversus procul in freta; porrigiturque  
 quartus Arabs, tumet hic rapido per aperta fluente,  
 Eusinumque salum videt eminus. en tibi rursus 90  
 aequoris Hesperii tractus loquar: istius unda  
 lambit terga soli, qua se vagus explicat orbis.  
 nam vel caeruleo loca circumplectitur aestu,  
 vel celso demissa iugo confinia radit,  
 moenia vel fusi praestringit gurgite ponti. 95

in zephyrum tellus extenditur, oraque terrae  
 ultima proceras subducit in astra columnas.  
 Hic modus est orbis Gadir locus, hic tumet Atlas  
 arduus, hic duro torquetur cardine caelum,  
 hic circumfusus vestitur nubibus axis. 100  
 et primum ruptas se pontus Hibericus illinc  
 inserit in terras: caput autem principiumque  
 Europae et Libyae est. mediis infunditur oris,  
 irreperitque salum. scopuli stant ardui utrimque:  
 unus enim Europam, Libyam procul aspicit alter. 105  
 sic discreta freto proceras cacumina celsis  
 emicuerunt iugis, sic intrant saxa profundum,  
 sic subeunt nubes, sic caelum vertice fulcit  
 Maura Abila, et dorso consurgit Hiberica Calpe.  
 Gallicus hinc aestus provolvitur. hic super urbem 110  
 Massiliam gens Graia colit, Ligurumque tumescit  
 aequor, et indomito tellus iacet Itala regno.  
 Ausonis haec regio est; pubi genus ab Iove summo.  
 qua se flabra trucidis boreae per inhospita terrae  
 eructant caelo, populis caput Aeneadarum, 115  
 alba dehinc cautes est terminus: haec freta propter  
 Trinacriae summa consurgit litoris ora.  
 evolvuntur item vada fusi caerula ponti;  
 insula qua Cynus fluctu madet alludente,  
 litoris ostriferi protendens latius undam, 120  
 Sardiniamque dehinc moles circumflua cingit  
 aequoris, et cano spumant freta concita fluctu.  
 hinc Tyrrhena sali sunt agmina, qua notus axem  
 umidus inclinat: qua lux se rursus eoa  
 emergit pelago, Siculi maris aestuat unda, 125  
 obliquumque quatit gurges protentior altum  
 usque in saxosi Pachyni iuga. plurimus inde  
 in Cretam trahitur ponti tumor: hinc procul se  
 inclinat rupes, atque obvia fluctibus altis  
 ingreditur pelagus Gortynia moenia iuxta, 130  
 ac procumbentis sola propter pingua Phaesti.  
 Prona mari cautes extenditur, ut ferus ora  
 est aries, ultroque minax petit obvia fronte:  
 denique sic olli nomen prior indidit aetas:  
 nec minus Italiam cornu prospectat acuto 135  
 litoris, et rapidi perflatur Iapygis ore.  
 hinc se rursus aquis Hadriatica marmora fundunt  
 in borean, zephyrumque dehinc deflexa parumper  
 alta petunt, rauco penitus repentina fluctu:  
 hic sinus Ionus curvatur litoris acta, 140  
 caespitis et gemini tellus irrumpitur alto.  
 nam qua caeruleis pontus sese inserit undis,  
 Illyris in dextris pandit regionibus agros,  
 Emathiamque super sulcat genus acre virorum:

Ausonidum laevast. hinc longo caespite tellus funditur, et varia populorum pube domantur arva soli. trina haec pelagi circumtonat unda. nam qua se zephyri sustollunt flabra, profundum Tyrrheni est pelagi; qua se notus erigit aethra,	145
Sicanum late fluitat mare: qua procul autem spirat ab eois pulcher regionibus eurus, Ionii sunt terga sali. sic Itala tellus a circumfusus latus amplum lambitur undis. efflua post Siculi moles evolvitur alti,	150
inque notum late vada ponti caerulea serpunt, donec harenosae se attollant aequore Syrtes, infidumque rati tenuent mare. languida quippe aequore iam fesso sese trahit unda per ambas. montibus ab Siculis capit autem prona meatum, Cretaeisque iugis mox Syrtes inter oberrat	155 160
parcior, et tenui praetexens ima fluento. rursus ab Idaea Salmonide porrigit aequor se geminum: nautae Pharium dixere profundum, quod procul in Casiae vergit confinia cautis: Sidoniique dehinc late salis aestuat unda,	165
Issicus immodico donec sinus ore pateat, aequoris et nostri sit terminus: arva ubi late pinguia proceris Cilicum versantur aratris. curva salo forma est: hinc sese marmora ponti in zephyrum torquent, ac flexu lubricus errat	170
gurgis, et exesas illabatur unda lacunas. sic virosorum proluxa volumina sese sponte cerastorum facili sub viscere curvant; sic spiras crebro sinuat draco, seque vel orbe colligit inclinans, vel pronis agmina longe	175
tractibus absolvit: stridet nemus undique totum, pestifero afflatu serpens vagus inquinat aethram. haut secus illapso penetrantur litora fluctu, et rursus tellus init aequora: iugis ubique mugitus pelago est, gemitu loca cuncta resultant.	180
Imminet huic late Pamphylia, subluit illic unda Chelidoniae, illisum murmurat aequor, saepius et crebra spumescunt aequora rupe, terminus his cautis Pataraeidis eminet arcis. ac rursus in zephyrum vada semet caerulea curvant.	185
hinc salis Aegaei tractus tonat, inque Bootis plaustra dehinc rapidi flectuntur marmora Nerei, saxosis Sporadum saepe obluctantia ripis. non aliud tanta consurgit mole profundum, non sic curva Thetis fluctu tumet: extimus olli	190
in Tenedum cursus, pelagi caput incipit Imbro. caespitis hinc prona protendens dorsa Propontis, flatibus ex boreae tepidum procumbit in austrum,	

immensaeque Asiae populos alit ubere terrae.  
 hinc artas inter fauces atque obvia saxa 195  
 Thracius angustas discludit Bosphorus oras,  
 Bosphorus Inachiae subvector virginis olim.  
 nam vicina sibi stant litora; terraque parci  
 faucibus oris hiat, pronam sinus evomit undam:  
 proxima non alibi tantum divortia cernas 200  
 caespitis: hac pecoris cursu sternacis in aequor  
 Inachis illata est; sic pectus canduit ira,  
 Paelicis et tanto divam dolor extulit igni.  
 illic instabili fama est sale saxa moveri,  
 inferrique sibi flabris urgentibus oras: 205  
 hic rigidas errare ferunt per marmora cautes,  
 et nunc ora sali vastas praetendere rupes,  
 nunc aperire sinum: gemit amplo murmure pontus,  
 seu quod collisas Thetis indignata per arces  
 saeviat obiectis; seu quod brevis exitus undas 210  
 exerat, et strictis eructet faucibus aequor.  
 interius lato pontus se gurgite fundit,  
 undarumque procul latus explicat, aurea Phoebi  
 qua rota purpureo repetit convexa sub ortu.  
 sic obliqua maris panduntur denique dorsa, 215  
 ut matutinis inclinent aequora habenis,  
 longior aut boreae concedat gurges in axem.  
 Pontus enim nostrae sinus est amplissimus undae.  
 Huic Asia ab laevis praecingitur Europamque  
 excipit, adversusque dehinc se Thracius artat 220  
 Bosphorus et tenui vix panditur oris hiatu  
 at qua diducto pontus distenditur aestu,  
 et porrecta mari terrae iuga longius intrans  
 in pelagus, tractuque vago sua litora linquunt,  
 caespite Paphlagonum prodit saxosa Carambis. 225  
 altera se cautes similis procul arietis ori,  
 dura pruinoso qua torpet Taurica caelo,  
 exerit, et tenta late premit aequora fronte.  
 minus ista notum videt, arctos minus illa.  
 porro inter fluctus ac fusi marmora ponti 230  
 proxima celsorum sic sunt sibi dorsa iugorum,  
 quamvis vasta sali moles interfluit arces,  
 ut gemini sit forma maris. sed brachia pontus,  
 finibus arctois, eoque lucis in ortum,  
 et qua prona dies atris involvitur umbris, 235  
 molliter inclinans, Scythici speciem facit arcus;  
 at tepidi de parte noti directior oram,  
 continuumque iacens, rigidi sub imagine nervi  
 tenditur: excedit confinia sola Carambis  
 in boream vergens. boreali rursus in arcto 240  
 ore sinus patulo Maeotidis alta paludis  
 aequora prorumpunt: Scythia late barbarus oras

incolit, et matrem ponti cognominat undam.  
 sola parens ponto, genetrix haec sola fluentost:  
 hoc se fonte trahunt vaga glauci marmora ponti, 245  
 Cimmerio prolapsa sinu; nam Bosphorus illic  
 Cimmerius fauces aperit: circumque superque  
 Cimmeris, gens dura, colunt. hic ardua Taurus  
 in iuga consurgit, caelumque cacumine fulcit  
 verticis, et celsis late caput inserit astris. 250  
 huc, mirante salo, quondam sese intulit Argo  
 Thessala, et innantem stupuerunt aequora cumbam.  
 sic vasti moles pelagi interfunditur oras:  
 sic se forma maris toto procul explicat orhe.  
 Nunc tibi tellurem versu loquar: incute docto, 255  
 Phoebe, chelyn plectro. musis intermina vita  
 permanet, et memori laus semper pullulat aevo.  
 indefessa tuae sint mentis acumina, lector,  
 sudorisque mei patulo bibe carmina rictu:  
 dulcis in his haustus, meritum grave, gratia perpes. 260  
 Ergo solum terraeque Libystidis ora per austrum  
 tenditur, eoae procul in confinia lucis.  
 Gades principium est; caput huius caespitis autem  
 artius angusto conducit litora tractu,  
 Oceanique salum cuneo subit: istius orae 265  
 terminus immensis Arabum concluditur undis.  
 at latus hoc terra diffusius explicat agros,  
 arvaque tenta patent. haec pingui caespite tellus  
 Aethiopum est nutrix, qui nigros propter Erembas  
 extremi Libyae curvo sola vomere sulcant: 270  
 et rursum Aethiopes soli subiecta cadenti  
 arva tenent. sic scissa virum gens ultima terrae  
 incolit: hos afflant rutilae incunabula lucis;  
 hi iam praecipitis terrentur solis habenis.  
 propter proceras zephyri regione columnas 275  
 Mauri habitant; his fluxa fides et inhospita semper  
 corda rigent; trahitur duris vaga vita rapinis.  
 proxima se late Numidarum pascua tendunt,  
 Massyliique super populi per aperta locorum  
 palantes agitant. certi laris inscia gens est: 280  
 nunc in dumosas erepunt denique rupis,  
 nunc quatiunt campos, nunc silvas inter oberrant  
 coniugibus natisque simul: cibus aspera glando  
 omnibus: haud ollis sulcatur caespes aratro:  
 non his mugitus pecudum strepit. inclyta post hos 285  
 moenia consurgunt Tyriae Carthaginis: illa  
 urbs Phoenissa prius, Libyci nunc ruris alumna,  
 paci blanda quies, et bello prompta cruento.  
 ast hinc in Syrtim praeceps ruit unda minorem,  
 ulteriusque dehinc qua lux se reddit Olympo, 290  
 maior vasta sibi late trahit aequora Syrtis,

infidumque rati pelagus furit: ardua quippe  
 undarum moles Tyrrheno cogitur aestu,  
 curvatumque salum quatit amplo litora fluctu;  
 ecce alias lento prorepat gurgite Nereus, 295  
 undaque vix tenuis siccas praetexit harenas.  
 immemor ergo modi semper natura duabus  
 Syrtibus, et classem sors crebro caeca fatigat.  
 ambarum medio procera Neapolis arcem  
 surrigit: hanc rursus gens late prisca virorum 300  
 Lotophagi includunt: diros Nasamonas at inde  
 aspice, quis quondam populorum examina multa  
 versavere solum, multo sonuere per agros  
 balatu pecudes: nunc lati iugera campi  
 et grege nuda iacent, et sunt cultoribus orba. 305  
 Ausonis haec duro vastavit dextera bello:  
 Ausonis invicti gens roboris una per orbem  
 arma tulit: pubem Latiam ferus horruit Hister,  
 Romanas aquilas Rhodanus tremit, Italicum vi  
 maesta paludivagos Germania flevit alumnos. 310  
 Illi caeruleas attingunt aequoris undas:  
 at qua navigero tellus discedit ab aestu,  
 innumerae gentes, populorum examina mille  
 arva tenent. hic fata canit venerabilis Hammon,  
 mugit harenosis nemus illic denique lucis. 315  
 astat Cyrene propter vetus, erigiturque  
 urbs procera arces, et Apolline dives alumno:  
 Marmaridae iuxta; procul hi tamen ultima regni  
 Aegypto inclinant: tergo Gaetulia glebam  
 protinus hinc Garamas late confinia tendit, 320  
 trux Garamas, pedibus pernix, et harundinis usu  
 nobilis: at quantum terrarum interna recedunt,  
 ut procul Oceano tellus vicina madescat,  
 Aethiopum populos alit ampli caespitis ora,  
 terminus Aethiopum populos adit ultima Cerne. 325  
 post Blemyes medii succedunt solis habenas,  
 corpora proceri, nigri cute, viscera sicci,  
 et circumvincti nervis exstantibus artus.  
 hi celeri molles currunt pede semper harenas,  
 nec tamen impressae linquunt vestigia plantae. 330  
 eminus evolvunt hinc sese pingua Nili  
 flumina, et intenti prolabitur aequoris unda.  
 hic qua secretis incidit flexibus agros,  
 Aethiopum lingua Siris ruit: utque Syenen  
 caeruleus accedens diti loca flumine adulat, 335  
 nomine se claro Nilum trahit, inque iacentem  
 Aegyptum fusus fluctu premit arva marito,  
 fecundatque solum: procul illinc agmina cogit  
 in borean, scissusque vagis amfractibus aequor  
 non olli compar quisquam fluit, inclyta quamquam 340



undique se totis eructent flumina terris.  
 Nilus enim immensos vitam dispergit in agros,  
 et fovet invecto sata gurgite: Nilus honorem  
 telluri reparat: Nilus freta maxima pellit.  
 hic Asiam ab Libya disterminat, axe favoni 345  
 secernens Libyam; redeuntis solis ab ortu  
 disiungens Asiae medio confinia fluctu.  
 nec procul illa virum gens incolit, axibus olim  
 quae prior humanas leges et iura notavit,  
 vomere quae duro, quae longi pondere aratri 350  
 sollicitavit humum, quae fetus edere sulcis  
 tellurem docuit, quae caedens partibus aethram  
 prodidit obliquo solem decurrere caelo.  
 istius ergo tibi formam regionis et oras  
 expediam versu. blandus praetenditur aer, 355  
 prodigus herbarum caespes iacet, aspera nusquam  
 culmina consurgunt, portus cavat ora frequentis.  
 quidquid terra dehinc redeuntis sufficit anni  
 tempore, prae cunctis stupeas specieque modoque.  
 trina loco frons est, sed laxior axe Bootis, 360  
 luce sub eoa constrictior, usque Syenen  
 tenditur, unde pii volvuntur flumina Nili.  
 hic urbs est Thebae, Thebae quae moenibus altis  
 praecinxere larem: Memnon ubi Tithoneus  
 suspectat roseas Aurorae matris habenas. 365  
 pars quae coeano discedit ab aequore, septem  
 oppida sustentat: notiam pars vergit in oram,  
 et modus est olli Serbonidis alta paludis;  
 altera pulsatur genitalibus ore favoni.  
 hic urbem posuit Pellaeae dextera gentis; 370  
 hic inter celsas late surgentia nubes  
 templa Sinopaei Iovis astant nixa columnis,  
 divite saxorum circumvestita metallo,  
 auro fulta gravi, niveo radiantia dente.  
 nec minus hic speculae vertex subducitur, ex quo 375  
 cernere sit longe Pallenidis intima terrae.  
 at qua surgenti terrae pars conscia Phoebost,  
 aggere murorum Pelusia moenia surgunt.  
 gens hic docta sali tumido freta gurgite currit,  
 inque procellosos lembum convertere fluctus 380  
 ludum habet, et rauca vitam producit in unda.  
 Talis forma iacet Libyae, talique recessu  
 ab zephyro eoum tellus incumbit in axem.  
 istius extenti sola caespitis undique sulcant  
 gentes innumerae, quae sparsae litore longo 385  
 Oceani australis vada late caerula tangunt;  
 et quae multimodis media tellure agitantes  
 arva domant, et quae Tritonidis alta paludis  
 ut circumfuso populorum examine cingunt.

Nunc tibi et Europae fabor latus: haec, ubi terras 390  
 intrat Atlantei vis aequoris, accipit ortum.  
 unus utramque sali fluxus secat, et procul unum  
 distinet os ambas: eadem insinuatio ponti  
 Europam et Libyam rapido disternat aestu.  
 sed prior illa tamen tepido perfunditur austro, 395  
 haec subit insanos tergum curvata aquilones.  
 ambae Asiam rursus simili sub limite tangunt:  
 aequus utrimque modus protenditur: at simul ambas  
 si conferre sibi quisquam velit, una parumper  
 ut credatur humus, mediique interflua ponti 400  
 subtrahat; extemplo, quali nux pinea formast,  
 singula versanti talis succedet imago  
 Europae et Libyae: sic nam latus explicat ambas,  
 unum et utriusque caput, similis quoque finis utriusque  
 sed tamen Hesperii qua spectant aequoris undam, 405  
 ambae producto coeunt sibi caespite terrae;  
 qua matutinis sol istas ignibus afflat,  
 latior ambabus species distenditur. unum  
 hoc agili sub mente tenens, velut obvia habebis  
 cetera terrarum. tellus Europa columnis 410  
 proxuma magnanimos alit aequo caespite Hiberos.  
 hi super Oceani borealis frigida tangunt  
 aequora, et excursu diffusi latius agri  
 arva tenent, duris nimium vicina Britannis;  
 flavaque caesariem Germania porrigit oram, 415  
 dumosa Hercyniae peragrans confinia silvae.  
 Inde Pyrenaei turgescunt dorsa nivalis,  
 Gallorumque truces populi per inhospita terrae  
 vitam agitant: tum caeruleum Padus evomit antro  
 hic prius Heridani propter nemorosa fluenta 420  
 fleverunt liquidae lapsum Phaethonta sorores,  
 mutataeque manus planxerunt pectora ramis.  
 Nec procul hinc rigidis insurgunt rupibus Alpes,  
 nascentemque diem celso iuga vertice cernunt.  
 porro inter cautes et saxa sonantia Rhenus, 425  
 vertice qua nubes nebulosus fulcit Adulas,  
 urget aquas, glaucoque rapax rotat agmine molem  
 gurgitis, Oceani donec borealis in undas  
 effluat, et celeri perumpat marmora fluctu.  
 quin et Danubium produnt secreta repente 430  
 barbara, sed discors tamen est natura fluente.  
 Abnoba mons Histro pater est: cadit Abnobaie hiatu  
 flumen; in eos autem convertitur axes,  
 Euxinoque salo provolvitur; ora per aequor  
 quinque vomunt amnem, qua se procul insula Peuce 435  
 exierit: hunc rigidi qua spirant flabra aquilonis,  
 Sarmata, Germani, Geta, Basternaeque feroces,  
 Dacorumque tenent populi, tenet acer Halanus,

Incola Taurisci Scythia litoris; indeque rursum  
 dira Melanchlaeni gens circumfusa vagatur. 440  
 proxima Neurorum regio est, celeresque Geloni,  
 praecinctique sagis semper pictis Agathyrsi.  
 inde Borysthenii vis sese fluminis effert  
 Euxinum in pelagus: tunc aequora Panticapaei  
 ardescique tibi celso de vertice surgunt 445  
 Riphæi montis, ubi dura saepe sub arcto  
 densa pruinosos eructant nubila nimbos.  
 hic dites venae niveum gignunt crystallum,  
 adque hic indomito tellus adamante rigescit  
 inter Riphæos et proceros Agathyrsos. 450  
 haec gentes Histrum, qua se plaga dura Bootis  
 porrigit, incumbunt: medii de parte diei  
 per dumosorum reptantes dorsa iugorum  
 Gerrhae habitant. Gerrhas attingunt oppida late  
 Norica, et immodicae rursum sola pinguis glebae 455  
 Pannonia exercet. borean subit altior agro  
 Moesus, et extento post tergum caespite Thracas  
 plurimus excedit: tunc ipsi maxima Thraces  
 vomere sollicitant curvo loca: denique longo  
 qua porrecta iacet spatium piscosa Propontis, 460  
 et qua praecipiti fluctu furit Hellespontus,  
 Aegaeumque dehinc procul in mare, plurima Thraces  
 arva tenent: hic mellifluis Pallena sub antris  
 Lychnitis rutilae flammis alit: hic et iaspis 465  
 fulva micat stellis, quantum convexa per aethrae  
 ignea perpetuis ardescunt sidera flammis.  
 Hic rursum occiduis Europam fabor ab oris.  
 haec tamquam speculis adsurgens plurima trinis,  
 spectat Achaemeniae lucis iubar: unus Hiberos 470  
 limes habet, limes tenet alter denique Graios,  
 Ausoniae medius protendit latius arva.  
 Oceani vicina salo qua gleba recumbit,  
 Oceani Hesperii, tumet illic ardua Calpe;  
 Hic Hispanus ager, tellus ibi dives Hiberum:  
 Tartesusque super sustollitur: indeque Camsi 475  
 gens agit, in rupis vestigia Pyrenaeae  
 protendens populos: medio se limite gleba  
 Ausonis effundit; mediam secat Appenninus  
 Ausoniam: nam qua boreali vertice ad aethra  
 concrepant Alpes, surgit caput Appennino; 480  
 et qua Sicani tellus madet aequoris aestu,  
 ut protelatae molis iuga gurgite condit.  
 huic circa multae sola sulcant proxima gentes;  
 et tamen has omnes solers tibi musa loquetur.  
 prima vetustorum gens est ibi Tyrrhenorum: 485  
 inde Pelasga manus, Cyllenae e finibus olim  
 quae petit Hesperii freta gurgitis, arva retentat

Itala: tum multa tenduntur parte Latini,  
 per quos flaventis Tybris pater explicat undas,  
 Romanosque lares lapsu praelambit alumno. 490  
 hinc Campanus ager glebam iacit: hic freta quondam  
 Parthenopen blando labentem in marmora ponti  
 suscepere sinu: tepidum si rursus in austrum  
 convertare oculos, nemorosi maxima cernes  
 culmina Piceni: coma largi palmitis illic 495  
 tenditur, ac fuso Bacchus tegit arva flagello.  
 tunc Lucanorum regio insurgentibus alte  
 cautibus horrescit: scrupus sola creber iniqua  
 asperat, et denso caecantur stipite silvae.  
 Britius hinc dumos acer colit inter, et arces 500  
 intendant pelagus, displosisque aequora terris  
 instabile inclinent semper mare, qua vel eois  
 Hadrias unda vadis largam procul expuit algam,  
 vel qua Tyrrheni praeceps involvitur aestus.  
 ad zephyri hinc rupes dorsum tumet, inque Bootis 505  
 plaustra patens albo consurgit vertice saxum.  
 huc se prisca Locri gens intulit, et sale longo  
 eminus invecti, qua pontum gurgite rumpit  
 flumen Alex, Graiae rexerunt lintea cumbae.  
 hinc Metapontini discurrunt latius arvo: 510  
 inde Croton priscis attollit moenia muris:  
 Aesarus hic amnis salsa convertitur unda,  
 et Iunone calent hic arae praesule semper.  
 nec minus exciti post flumina dira tonantis  
 infortunatae Sybaris vicina ruinast; 515  
 Samnitaeque truces habitant confinia: post hos  
 gens Marsum quondam tenuit loca: tumque Tarentum  
 surgit, Amyclaei suboles praedura tyranni.  
 hinc iacet in patulos proiecta Calabria campos,  
 et super arenti tenduntur Iapyges agro. 520  
 huc se praecipiti cogit ferus Hadria ponto.  
 hic Aquileia decens celsis caput inserit astris:  
 Tergestumque dehinc curvi salis incubat oram,  
 extimus Ionii qua se sinus aequoris abdit.  
 tot populi Ausoniam circumdant moenibus altis, 525  
 Italiam cingunt tot diti caespite gentes.  
 in iubar eorum rursus se pervia flectunt  
 aequora, et Assyrium suspectant eminus axem  
 Ionii freta glauca sali, primosque Liburnos  
 praestringunt pelago; gens Hylli plurima rursus 530  
 accolit: hic tenui tellus discluditur aestu.  
 Illyris ora dehinc distenditur: hicque periclis  
 saepe carinarum famosa Ceraunia surgunt.  
 tum prorepentis qua sunt vada turgida Nerei,  
 Harmoniae et Cadmi sustentat gleba sepulchrum 535  
 barbara: nam longo iactati saepius orbe,

postquam liquerunt Hismeni fluminis undam,  
 hic in caeruleos mutati membra dracones  
 absolvere diem, finemque dedere labori.  
 nec minus hic aliut monstri genus arbiter aethrae 540  
 edidit: adsistunt scopuli duo, cumque quid atri  
 imminet eventus, ut vulgi corda fatiget  
 sors rerum, et gentes terat inclementia fati,  
 et motantur humo, et coeunt sibi vertice saxa.  
 sed qua mitis item spirat notus, Oriciumque 545  
 pulsant flabra solum, Graiae confinia terrae  
 incipiunt aperire latus, prolixaque longis  
 iugera producunt spatiis, praecineta duobus  
 aequoris infusi procursibus: hanc freta quippe  
 Aegaei lambunt pelagi; citus Hadria rursus 550  
 subluit hanc fluctu: gemino sic gurgite late  
 Graia madet tellus, sortitaque marmora ventos  
 quaeque suos, imo turgescunt mota profundo.  
 Eurus in Aegaeum contorquet flabra: cadentis  
 parte poli zephyris Hadriatica terga tumescunt. 555  
 insula se rursus Pelopis visentibus offert,  
 insula quae platani folio compar sedet. Isthmi  
 quippe caput summum conducitur, artaque vergit  
 in borean tellus, et Graios adiacet agros:  
 cetera sub folii specie distenditur arva, 560  
 ac per utrumque latus sinuoso saepe recedit  
 caespite: sed tepido qua tellus tunditur austro,  
 Graiorum Triphylis sterili se porrigit ora.  
 hinc sacer Alpheus flumen trahit, et vagus aequor  
 influit Eurotas. Pisanos alter adulat, 565  
 alter Amyclaeas celeri secatur agmine terras.  
 insula qua curvas inclinat concava valles,  
 Arcades immensum propter degunt Erymanthum.  
 hic distentus aquas sata lambit pingua Ladon.  
 iuxta Argivus ager, iuxta sunt culta Laconum: 570  
 illos prima dies, celer istos aspicit auster.  
 Isthmi terga dehinc geminus circumlatrat aestus,  
 parte Ephyres, piceas qua nos agit atra tenebras,  
 et matutinus qua lucem proserit ortus.  
 hic usu Graio nomen tenet unda Saronis. 575  
 Atticus hanc ultra limes iacet, Attica tellus  
 belligeratorum genetrix memoranda virorum.  
 fertilis haec herbis Illisum subvehit amnem:  
 Illissi boreas stagno tulit Orithyiam.  
 Boeotumque dehinc sese confinia iungunt, 580  
 et Locris, et patuli sulcator Thessalus agri,  
 et Macetum praepingue solum; tumet arduus Hemus,  
 Threiciumque caput subducitur: adiacet Hemum  
 partibus ab zephyri Dodonae vatis alumnus.  
 axe noti rigidas subter rupes Aracynthi 585

gens Aetola colit; campis ibi pulcher apertis  
labitur, et virides sulcans terras Achelous  
irruit Hadriaci tergum maris; hicque frequentes  
fluctibus attolluntur Echinades: haut procul inde  
prisca Cephallenae consurgunt oppida terrae. 590  
Delphica quin etiam miscet confinia Phocis,  
lucis in exortum protentior; inque Booten  
Thermopylae cedunt. hic se Parnasia rupes  
erigit: hic celeri Cephisis volvitur unda:  
hic quondam Python transactus harundine membra, 595  
sanguinis et cassus prolixa volumina solvit.  
illic saepe deum conspeximus arridentem,  
inter turicremas hic Phoebum vidimus aras.  
Nunc ut quaeque vago surrexerit insula ponto,  
ordine quo steterint pelago circumflua saxa, 600  
expediam. cumbae ducatur cursus ab unda  
gurgitis occidui: precor, aspirate, camenae,  
Inter et oppositas intendite lintea terras.  
Gadir prima fretum solida supereminet arce,  
Attollitque caput geminis inserta columnis. 605  
Haec Cotinussa prius fuerat sub nomine prisco,  
Tartesiumque dehinc Tyrii dixere coloni,  
barbara quin etiam Gades hanc lingua frequentat:  
Poenus quippe locum Gadir vocat undique saeptum  
aggere praeducto. Tyrii per inhospita late 610  
aequora provecti, tenuere ut caespitis oram,  
constituere domus; dant hi quoque maxima templa  
Amphitryoniadae, numenque verentur alumnum.  
insula se propter Gymnesia tollit ab alto,  
ac dilecta vago pecori consurgit Ebusus, 615  
Sardiniaeque arces, et inhorrens Corsica silvis:  
Aeolidesque dehinc tumidis se fluctibus edunt  
insulae, et inserto canescunt undique ponto.  
has dudum tenuit rex Aeolus: Aeolus illic  
hospita iactatis indulsit litora nautis, 620  
Aeolus imperio summi Iovis arbiter alto  
impositus pelago est, effundere carcere ventos  
et sedare salum. septem sese aequoris aestu  
emergunt arces: celsam rex Aeolus aulam  
hic habuit. tunc Ausoniam se pandit in oram 625  
tellus Trinacria et patulo distenditur agro.  
haec autem trinis laterum procursibus astat,  
ternaque caeruleis longe iuga porrigit undis.  
in matutinos Pachynos producit ortus:  
pars tepet ab zephyro Lilybeia: celsa Peloris 630  
tota sereniferae pulsatur flatibus ursae.  
hic iter infidum pelagi, miserandaque fata  
involvere salo fluctuque hausere voraci  
saepe ratis. urgent angustae marmora fauces,

artaque praecipitant properum confinia pontum. 635  
 qua se parte dehinc celsae notus erigit aethrae,  
 vis late Libyci furit aequoris. una ibi Syrtis;  
 ast aliam ulterius freta prolabantia tendunt,  
 parvaque caeruleo circumsonat aequore Meninx.  
 rursus in Hadriacam lembum cogentibus undam, 640  
 et laevum curva pelagus sulcantibus alno,  
 insula se Grai Diomedis gurgite promit,  
 Italiam spectans et Iapygis arva coloni.  
 huc illum motae quondam tulit ira Diones,  
 postquam per celeres extorrem traxit Hiberos: 645  
 coniugis huc dirae misit furor Aegialiae.  
 Ionii siquis rate rursus caerulea currat  
 aequora, et eos cumbam producat in ortus,  
 Absyrta cautes et crebras protinus arces  
 inveniet. Colchos huc quondam cura fidesque 650  
 extulit, insanam sectantes Aeetinen.  
 nec procul Ionii per terga Libyrnides astant:  
 inque notum post dira Ceraunia carbasa siquis  
 torqueat, et tepidos lembum declinet in axes,  
 Ambraciotarum succedent protinus arces, 655  
 Alcinoique domus pandetur Cercyra rursus,  
 Cercyra compta solum, locupleti Cercyra sulco.  
 hanc super est tellus, Ithaci vetus aula tyranni,  
 exulis et toto raptati saepe profundo.  
 plurima praeterea consurgunt gurgite saxa, 660  
 quae protentus aquas Achelous pulcher oberrat;  
 Amnisusque dehinc alias circumfluit unda,  
 quae tamen in borean vergunt magis; Aegila parva  
 et procera caput turgescunt pulchra Cythera;  
 eminent hic etiam saxosa Calauria iuxta; 665  
 Carpathus hic rupes attollitur: haec tamen axem  
 respicit occiduum. nutrix hic Creta tonantis,  
 multa latus, glebamque ferax et opima virentum  
 erigitur pelago. Cretam super astitit Ida,  
 Ida procellosis agitans aquilonibus ornos. 670  
 nec procul Aegyptum Rhodus adiacet, adiacet oram  
 Suniados, qua se protendit caespes Abantum,  
 fertilis Aeginae tellus, et opima Salamis.  
 lucis ab exortu, Pamphylia qua cavat aestum  
 prolabantis aquae, Cyprus alta cingitur unda, 675  
 adque Dionaei pulsatur litoris acta.  
 inde Chelidoniae tris sese gurgite tollunt,  
 qua frons tenta salo Patareidis eminent arcis.  
 laeta dehinc Aradus Phoenicum praeiacet oram,  
 multus ubi exesae sinus est telluris ab alto, 680  
 ac latus omne soli procul in dispendia cedit  
 litoris, et curvo praelambitur ora fluento.  
 mirus at ille dehinc Aegaei gurgis habetur,

qui gemina de parte sali velut ordine fisso  
 saxa mari profert circumflua, tenuia sese 685  
 areta praecipitant Athamantidis inclyta leto:  
 Sextus ubi atque Abydus parvo sale discernuntur,  
 et vicina sibi lambit confinia pontus.  
 pars procul Europae laevum latus, altera porro  
 ditem Asiam spectat: cunctae tamen ordine facto 690  
 insulae in arctoi procedunt plaustra Bootis.  
 Europam incumbit prolixus limes Abantum.  
 Scyrus ibi late dorsum tumet, ac Peparethum  
 protollit pelagus. iuxta Vulcania Lemnos  
 erigitur, Cererique Thasus dilecta profundo 695  
 proserit albenti se vertice: prominet Imbrus,  
 Thressaque consurgit propter Samus: indeque rursus  
 Cyclades accedunt Asiam, Delumque coronant.  
 omnes fatidico curant sollemnia Phoebo.  
 nam cum vere novo tellus se dura relaxat, 700  
 culminibusque cavis blandum strepit ales hirundo,  
 gens devota choros agitat, gratique sacro  
 ludunt festa die, visit sacra numen alumnum.  
 Hinc Sporades crebro producunt caespite sese  
 densa serenato ceu splendent sidera caelo. 705  
 nec minus attolluntur Ionides insulae ab alto.  
 hic iuxta Caunus, Samus hic Saturnia iuxta,  
 tumque Chius patulae prospectans arva Pelinae.  
 Lesbus item et Tenedus per aperti marmora ponti  
 expediunt arces, et culmina nubibus indunt. 710  
 hinc se piscosi pandit sinus Hellesponti.  
 hic salis arctoi spumas vomit impiger aestus,  
 hic protenta quatit late freta glauca Propontis.  
 siquis laeva dehinc Euxini marmora sulcet,  
 ora Borysthenii qua fluminis in mare vergunt, 715  
 e regione procul spectabit culmina Leuces.  
 Leuce cana iugum, Leuce sedes animarum:  
 nam post fata virum semper versarier illic  
 insontes aiunt animas; ubi concava vasto  
 cedit in antra sinu rupes, ubi saxa dehiscunt 720  
 molibus exesis, et curvo fornice pendent.  
 haec sunt dona piis: sic illos Iuppiter imis  
 exemit tenebris, Erebi sic inscia virtus.  
 Rursum Cimmerius qua Bosphorus ora patescit,  
 dexterior ponto subit insula, vasta que late 725  
 excedit moles pelagus: sedet eminus ingens  
 Phaenagore, et muros attollitur Hermonassa.  
 haec maris infusi consurgunt insulae ab alto.  
 exterior quis unda dehinc, circumfluis et quis  
 aestuet Oceanus, quibus illae flatibus omnes 730  
 culmina pulsantur, memores date carmine musae.  
 Propter Atlantei tergum salis Aethiopum gens



Hesperides habitant; dorsum tumet hic Erythiae,  
 hicque Sacri, sic terga vocat gens ardua, montis:  
 nam protenta iugum tellus trahit: hoc caput amplae 735  
 proditur Europae: genetrix haec ora metalli,  
 viventis stagni venas vomit: acer Hiberus  
 hic freta veloci percurrit saepe phaselo.  
 eminus hic aliae gelidi prope flabra aquilonis  
 exsuperant undas et vasta cacumina tollunt. 740  
 hae numero geminae, pingues sola, caespitis amplae,  
 conditur occidui qua Rhenus gurgitis unda,  
 dira Britannorum sustentant agmina terris.  
 hic spumosos item ponti liquor explicat aestum,  
 et brevis e pelago vertex subit: hic chorus ingens 745  
 producit noctem ludus sacer: aera pulsant  
 vocibus, et crebris late sola calcibus urgent.  
 non sic Absynthi prope flumina Thracis almae  
 Bistonides; non, qua celeri ruit agmine Ganges,  
 Indorum populi stata curant festa Lyaeo. 750  
 longa dehinc celeri siquis rate marmora currat,  
 inque Lycaonias cumbam procul urgeat arctos,  
 inveniet vasto surgentem vertice Thulen.  
 hic cum plaustra poli tangit Phoebieus ignis,  
 nocte sub illustri rota solis fomite flagrat 755  
 continuo, clarumque diem nox aemula ducit.  
 nam sol obliquo torquetur cardine mundi,  
 directosque super radios vicinior axi  
 occiduo inclinat, donec iuga rursus anhela  
 devexo accipiat caelo notus. inde fluenta 760  
 tenduntur Scythici longe maris in facis ortum  
 Eoae: tum coeaneis erepit ab undis  
 insula, quae prisci signatur nominis usu  
 aurea, quod fulvo sol hic magis orbe rubescat.  
 Contemplator item, ceu se mare flectat in austrum, 765  
 inque notum Oceanus freta ponti caerulea curvet:  
 altaque Coliadis mos hic tibi dorsa patescent  
 rupis, et intenti spectabis caespitis arces.  
 pro quibus ingenti consistens mole per undas  
 insula Taprobane gignit taetros elephantos, 770  
 et super aestiferi torretur sidere cancri.  
 haec immensa patet, vastisque extenditur oris  
 undique per pelagus: latus autem protinus olli  
 agmina cetosi pecoris, vaga monstra profundi,  
 alludunt: fervent Erythraei marmora ponti 775  
 tota feris: haec, ut rigidi iuga maxima montis,  
 nubibus attollunt latus omne, et terga tumescunt:  
 instar in his rupis spinae tenor arduus astat,  
 molibus in celsis scrupus quoque creber inhorret.  
 a! nequis rapidi subvectus gurgitis unda 780  
 haec in terga sali lembum contorqueat umquam:

a! ne monstrigenis, hostem licet, inferat aestus  
fluctibus: immodici late patet oris hiatus  
quippe feris, antro panduntur guttura vasto;  
protinus haec ipsas absorbent fauce carinas, 785  
involvuntque simul mox monstra voracia nautas.  
Ogyris inde salo promit caput, aspera rupes,  
Carmanis qua se pelagi procul invehit undas;  
regis Erythraei tellus haec nota sepulchro  
tenditur, et nudis iuga tantum cautibus horrent. 790  
Persicus hinc aestus fauces hiat: insula rursus,  
si tamen in borean flectantur carbasa cumbae,  
Icarus aereo consurgit vertice in auras,  
Icarus ignicomo Soli sacra; namque Sabaei  
turis ibi semper vaga fumum nubila volvunt. 795  
Insulae in Oceani procursibus hae tibi tantum  
carmine sunt dignae: multas vehit undique pontus  
praeterea, parvas specie, famaue carentia  
pars Asiam, Libyam pars adiacet altera ponto,  
pars videt Europam: non has tamen aut modus orae, 800  
aut interna cavi commendat vena metalli.  
harum aliae duris reserant vis litora nautis,  
et scaber in multis scrupus riget; undique iniquus  
surrigitur vertex, et inhospita caespitis orast.  
harum quis valeat numerosa ut nomina fari? 805  
si velit hoc ullus, velit idem scire quot alto  
curventur fluctus pelago, quot sidera caeli  
educant flammis, quot robora proferat Ida,  
quantus harenarum numerus versetur ab euro.  
Carmine nunc Asiam formet stilus: incute doctam, 810  
Phoebe, chelyn! totis Helicon aspiret ab antris.  
maxima pars orbis narrabitur; inclyta tellus  
prometur musis. terrarum summa duarum  
unius est limes, quae caespite protegit ambas.  
vastius ast Asiae diti caput, indeque sensim 815  
in matutinos oram conducitur axes.  
hic astare procul Bacchi fert fama columnas,  
ultimus Oceani qua terras alluit aestus,  
Indica qua rupes tumet extima, quo vaga Ganges,  
caespite dorsa trahens in Nysaeum Platamona 820  
porrigitur. similis nequaquam est forma duabus,  
nec modus est compar: secat unus denique pontus  
Oceanus, trinoque sinu vagus influit aestus  
unam Asiae molem: sinus istam Persicus intrat,  
maximus hanc Arabum scindit sinus, et sinus aequor 825  
inserit Hyrcanus: duo nigri partibus austri  
curvantur, rigidam suspectat tertius arcton:  
hic et in Euxini prorepat marmoris undam,  
et zephyrum tergo spectat procul: adiacet ambos  
tellus multa dehinc, et longis tenditur arvis. 830

ast Asiam incumbit vasto mons aggere Taurus,  
 interstatque iugo mediam, Pamphylia campo  
 qua iacet, incipiens, ac verticis ardua ducit  
 Indorum in pelagus: nunc autem surrigit idem  
 obliquas arces et flexilis aera pulsat; 835  
 nunc directa solo tentus vestigia figit.  
 mille dehinc amnes unus vomit, exerit unus  
 flumina per terras, vel qua riget ora Bootis,  
 vel qua lene notus spirat, qua perstrepat eurus,  
 et qua deiecto zephyrus sustollitur axe. 840  
 nec tamen hic uno signatur nomine ubique,  
 sed dum flectit iter, novus emicat; utque tumentis  
 gens vicina subest, peregrina vocabula mutat.  
 Accipe, qui populi circumdent denique Taurum.  
 Maeotae primi salsam cinxere paludem. 845  
 obversatur item trux Sarmata, bellica quondam  
 gentis Amazonidum suboles: nam cum prius illae  
 egissent vasti prope flumina Thermodontis  
 Threicio de Marte satae, iunxere profectae  
 concubitus: longas exercet Sarmata silvas: 850  
 ex quibus elapsus Tanais procul arva pererrat  
 barbara, et in salsam protendit terga paludem.  
 hic Asiam Europa disternit. arduus istum  
 Caucasus eructat: Scythicos hic fusus in agros  
 impacatorum nutrit pubem populorum. 855  
 huius utrumque latus quatit amplis bruma procellis,  
 constrictumque tenent hunc frigora. proxima rursus  
 Cimmerii Sindique colunt: Cercetia gens est  
 adque Toretarum propter genus: indeque Aethaei,  
 ab Xanthi ripis atque Idaeo Simoente, 860  
 inter chauricrepas et scruposas convallis,  
 transvexere larem. iuxta gens aspera degit  
 Eniochi, Zygyque dehinc, qui regna Pelasgum  
 linquentes, quondam tenuerunt proxima ponti.  
 impiger hos propter Colchus colit: iste feraci 865  
 exul ab Aegypto celsae serit aspera rupis:  
 Caucasus Hyrcanae nimium conterminus undae  
 huius valle procul Phasis gemit, istius antro  
 agmina provolvit, Circaeaque lapsus in arva  
 incidit, Euxinum. borealis cardine caeli 870  
 rursus in eoae lucis confinia tellus  
 inclinata iacet, gemino vicina profundo.  
 Caspia nam late terram super alluit unda,  
 Euxinique subest tergum salis: asper Hiberus  
 hic agit: hic olim Pyrenide pulsus ab ora 875  
 caespitis eoi tenuit sola, ceu vaga saepe  
 fors rapit exactos patria: tenet aequora campi  
 gens Camaritarum, qui post certamina Bacchum,  
 Indica Bassaridum cum duceret agmina victor,

acceperere casis, mensasque dedere Lyaeo: 880  
 orgia ludentes et nebride pectora cincti  
 deduxere choros, Nysaei ludicra ritus.  
 hos super in fluctus adsurgit Caspia Tethys.  
 Haec dicenda mihi; nec diri gurgitis umquam  
 lustravi pinu freta barbara, nec vagus orbem 885  
 undique reptavi: sed vasti flumina Gangis,  
 Caucaseas arces et dumicolas Arienos  
 incentore canam Phoebos, musisque magistris  
 omnia veridico decurrens carmine pandam.  
 Caspia per teretes Tethys distenditur oras, 890  
 et sinuant curvis hanc totam litora terris.  
 tantum sed fuso pontus iacet iste profundo,  
 ut ter luna prius reparet facis incrementa,  
 quam quis caeruleum celeri rate transeat aequor.  
 gurgitis Oceanus pater est: namque iste nivalis 895  
 axe Helices infert rapidi freta concita ponti,  
 et sinus inde sibi pelagus trahit: hic vada propter  
 Caspia versatur Scythia belliger; hincque feroces  
 degunt Albani: trux illic arva Cadusus  
 dura tenet, Mardi celeres, Hyrcani, Apyrique. 900  
 caespite vicino Mardus fluit, et procul ipsos  
 accedit Bactros; attingens denique atroces  
 agmine Dercebios, medius disternat ambos,  
 Hyrcanique salis tumido convolvitur aestu.  
 sed Bactrena solo vasto procul arva recedunt, 905  
 Parnassique iugi tegitur gens rupibus illa:  
 Dercebios aliud cohibet latus et vada tangit  
 Caspia: tum clari pharetris agilique sagitta  
 Massagetarum rauci succedunt flumen Araxis:  
 durum ab stirpe genus, placidae mens nescia vitae, 910  
 ignorant flavae Cereris commercia, Bacchi  
 semper inexpertes animam traxere ferinam.  
 his cibus et potus simul est: nam sanguen equinum  
 et lac concretum per barbara guttura sorbent.  
 nec procul ad boream diri posuere Chorasmi 915  
 hospitia, et iuxta protendit Sugdias agros,  
 Sugdias, ingenti quam flumine dissicit Oxus.  
 hic procul Hemodii late ruit aggere montis,  
 et per prolixos evectus protinus agros  
 Caspia propellit fluctu freta: qua patet huius 920  
 fluminis os, diri ripas habitant Iaxartae.  
 tendere non horum quisquam certaverit arcus:  
 ambitus hos etenim multus trahit, et grave curvis  
 pondus inest taxis, longo sunt spicula ferro,  
 et rigor in nervis veluti bovis. inde cruenti 925  
 sunt Tocari, Phrurique truces, et inhospita Seres  
 arva habitant, gregibus permixti oviumque boumque  
 vellera per silvas Seres nemoralia carpunt.

ultima Epetrimos tellus habet: et procul ista  
cassa virum est, nullis pecorum balatibus agri 930  
persultant; herbae viduus iacet undique caespes,  
fronde caret; nusquam terras intersecat amnis.  
Caspia tot late circumdant aequora gentes.  
Nunc rursus ab Colchis et glauci Phasidis undis  
occiduum ad solem populos memorate, camenae, 935  
usque in Threicii fauces maris! aspera primum  
Byzeron est gens: diri sunt inde Bechires,  
Macrones, Phyliresque et pernix Durateum gens.  
inde Tibareni, Chalybes super, arva ubi ferri  
ditia vulnifici crepitant incudibus altis. 940  
post hos Assyriae tenduntur iugera terrae,  
Armenioque iugo late surgens Thermodon  
erigitur celsa in fastigia prisca Sinope.  
hanc urbem quondam, magni Iovis ardor, Asopis  
virgo, locans saevae propter confinia terrae, 945  
aulam habuit, plebemque suo de nomine dixit.  
nec procul hinc purus laticem provolvitur Iris;  
et citus Armeniae cursum convallibus arcis,  
qua vastum in pelagus vergit saxosa Carambis,  
urget Halys: tum Paphlagonum sata longa patescunt, 950  
et Mariandinon gens incolit, unde triformis  
ora canis superas quondam produxit in auras  
Alcides Erebo: propter Bithynia glebam  
exerit: hic late Rhebas extenditur amnis,  
Rhebas, coeanei qui dissicit aequora ponti, 955  
Rhebas, argento similem qui porrigit undam.  
hi pontum cingunt populi. nunc illa canatur  
ora Asiae, glaucus pelagi quam subluit aestus,  
axe noti in fauces rapidi procul Hellesponti,  
et freta qua spumant Aegyptia partibus austri, 960  
usque Arabas et longa Syrae confinia terrae.  
dictum etenim, quantus rigidas Scytha degat ad arctoS.  
Calchedon tumulus fluctu circumdatus alto  
eminus Europam proceraque moenia Byzae  
aspicit: ab tergo tendit Bebrycia glebam, 965  
celsaque nubiferae sustollit culmina rupis  
Mysus ager: Mysos tacitum diffusus in aequor  
tergaque flavescens sulcat Cius: huius ad undam  
pulcher Hylas nymphis quondam fuit anxia cura.  
Hinc in caeruleum cedit sinus Hellespontum, 970  
explicat et Phrygiam tellus incurva Minorem;  
maior Sangario late praestringitur amni.  
haec procul eos procedit plurima in axes,  
fertilis herbarum: qua caelum rursus in umbras  
inclinat vertex, panduntur terga Minori, 975  
quae iacet immensae late sub rupibus Idae,  
infortunatam pertingens caespite Troiam.

Aeolis inde patet vastum super Hellespontum  
 Aegaei per terga sali. prolixus Ionum  
 rursus ager glebam protenditur: hunc secat ingens 980  
 Maeander, salsique ruens vada gurgitis intrat.  
 comminus hic gelidi qua spirant flabra aquilonis,  
 urbs Ephesus tetricae sustollit fana Dianae,  
 munus Amazonidum memorabile; nec minus inde  
 Lydia procedens longum latus explicat euro: 985  
 in qua vitiferae Molus iuga proserit arcis,  
 Et Pactolus aquas agit auriger, arva canoris  
 persultant cygnis, curva sedet undique ripa  
 creber olos, laetis adsurgunt gramina campis,  
 herbaque luxurians sola semper pingua vestit. 990  
 sed locuplete magis Maeandria gleba recumbit  
 ubere, nam blandi terram rigat unda Caystri.  
 Maeonis hic etiam deducit turba choreas:  
 aurea subnectunt haec vincula, ritus Iaccho  
 luditur, atque sacris feriunt ululatibus aethram; 995  
 virgineusque chorus late strepit, exilit omnis  
 coetus, ut instabiles vaga pendent corpora dammae:  
 Chaurorum quoque flabra deo famulantia ludunt  
 ritibus in vulgi; subeunt haec serica saepe  
 pallia, et impulsus zephyris agitantur amictus. 1000  
 haec linquenda tamen laeto reor omnia Lydo.  
 Qua se Xanthus agit, Lyciorum tenditur ora  
 inclinata mari, surgunt ibi culmina Tauri  
 Pamphylliae in fines: hic idem Cragus habetur  
 nomine sub gentis: prope celsam surgit in arcem 1005  
 prisca Side: fomes calidis adoletur in aris  
 saepe Dionaeae veneri: stat Corycus alta,  
 stat Perge propter, micat ardua tecta Phaselis  
 eminus, et Phoebi radiis tremit aemulus ardor.  
 inde Lycaoniae tractus iacet: impiger agros 1010  
 incola decurrit, sitit atrum dira cruorem  
 gens hominum, et saevo pascuntur pectora bello.  
 tum Pisida ferox exercet pingua culta,  
 Telmissusque dehinc urbs eminent, eminent arcem  
 inclyta per nubes attollens moenia Lyrbe, 1015  
 et Lacedaemoniae surgunt fastigia Selges.  
 Plurimus hinc terras intrat sinus, undaque longe  
 vicina Euxino rupti sola caespitis urget.  
 hic diros Cilicas trames tenet, inque diei  
 tenditur exortum: sulcant duo flumina terram, 1020  
 Pyramus hic undas, hic volvit Pinarus aequor.  
 Cydnus item mediae discernit moenia Tarsi.  
 Pegasus hoc olim suspendit caespite sese,  
 impressique solo liquit vestigia calcis;  
 esset ut insigni revoluta in saecula semper 1025  
 nomen humo, clari post ultima Bellerophontis.

sic caespes late producit Aleius arva,  
 horrescitque comis nemorum, per inhospita cuius  
 aequora secreto vitam protraxerat agro.

Lyrnessusque dehinc, hic Malus et Anchialia, 1030  
 illustresque Soloe post carmina vatis alumni.  
 Commagenorum propter diffunditur ora:  
 et procul Hesperium curvatur limes in axem,  
 donec piniferas Casii prorepat ad arces.

Hinc solers Asiam facili cape carmine totam. 1035  
 forma sit huius enim talis tibi: quattuor illam  
 in latera effusam cordi dato; longior autem  
 sit modus his, rutili quae spectant sideris ortum:  
 tumque tene, primo quod carmine musa locuta,  
 totam Asiam celsi praecingi vertice Tauri 1040  
 extima in Indorum: montis tamen accipe molem  
 per latus id duci, quo dat Cynosura pruinas:  
 solis ab occasu vastum decurrere Nilum:  
 Indicum ab eois mare fervere, rursus ab austro  
 fluctibus immodicis Rubri salis aequora volvi. 1045  
 ora Syrum curvi procumbens litoris acta  
 in notum et eoi confinia tenditur euri.  
 haec Coele est Graio sub nomine: namque duobus  
 ut conclusa iugis, vallis vice, multa cavatur.  
 ab zephyro Casius mons imminet: axe diei 1050  
 consurgentis item Libanus premit arduus arva.  
 pars procul a pelago terras colit, inque recessu  
 gens agitat: salso quidquid pulsatur ab aestu,  
 Phoenicum regio est: hi Rubro a gurgite quondam  
 mutavere domus, primique per aequora vecti 1055  
 lustravere salum; primi docuere carinis  
 ferre cavis orbis commercia; sidera primi  
 servavere polo; populis Phoenicibus ergo  
 urbs Iope, sterilisque dehinc habitatur Elais,  
 Gazaque proceris adsurgens undique muris. 1060  
 hic Tyrus est opulens, et Berytus optima, Byblos,  
 Sidoniique lares; ubi labens agmine amoeno  
 caespitis irrigui Bostrenus iugera findit.  
 Nec minus hic Tripolis pingui sola porrigit agro;  
 Orthosisque dehinc attollitur: hic Marathus stat. 1065  
 litoris extremo caput altis turribus effert  
 Laodice, et glauci praelambitur aequoris unda.  
 hic nemorosa virent Daphnae loca, celsa cupressus  
 erigitur, ramos innectit laurus odora,  
 crine Dionaeo myrtus diffunditur, altae 1070  
 consurgunt pinus, et caelum sibila pulsant  
 robora, mollicomis tellus insternitur herbis.  
 urbs mediis Apamea dehinc consistit in arvis,  
 et qua Phoebam procul incunabula lucem  
 prima fovent, Emesus fastigia celsa renidet. 1075

nam diffusa solo latus explicat, ac subit auras  
turribus in caelum nitentibus: incola claris  
cor studiis acuit, vitam pius imbuat ordo:  
denique flammicommo devoti pectora Soli  
vitam agitant: Libanus frondosa cacumina turget, 1080  
et tamen his celsi certant fastigia templi.  
hic scindit iuxta tellurem glaucus Orontes,  
nec procul Antiochi vagus interlabitur urbem,  
praestringens undis Apamenae iugera glebae.  
fertilis hic caespes protenditur, arvaque amica 1085  
sunt pecori, in septu facilis Pomona resurgit,  
et fecunda Ceres campo flavescit aperto.  
Si rursus tepidum via deflectatur in austrum,  
curva sinus Arabi succedent aequora propter.  
namque Arabas Syriaeque solum sinus iste fluento 1090  
dividit, et tentis procul interfunditur undis:  
et tamen eos paulum inclinatur in axes  
usque in belligeri confinia flexus Elani.  
hinc tellus Arabum producit caespitem campos,  
et latera ab gemino sale cingitur; alluit aestus 1095  
Persicus hanc, Arabumque sinus rigat aequore terram.  
his sua flabra polo spirant: nam Persicus euro  
turgescit vento, zephyro sinus aestuat alter.  
pars autem in primos quae semet porrigit ortus,  
et notus insurgit qua nubifer, aequore Rubri 1100  
tangitur Oceani; felici terra recumbit  
tota solo: tellus hic semper fragrat odore  
caespitem: prorumpit lacrimoso stipitem myrrha,  
Myrrha furor quondam Cinyreus; hic ladani vim  
vellerum desudant, calami coma pullulat almi, 1105  
gignit humus casiam, concrescunt tura per agros,  
longaque fecundis pinguescit odoribus ora.  
vera fides, illic femoris sub imagine partus  
disrupisse Iovem penetralia; proderet ortus  
ut sacer aetheria fulgentem fronte Lyaeum. 1110  
nascenti Baccho risit pater, undique fulsit  
caelicolum sedes, convexaque pura tetendit  
festa dies: tellus effudit dives odores;  
villorum subitis tumuit pecus incrementis:  
ver habuere suum nova gramina, flore frequenti 1115  
pinsit terra sinus, ac nymphis unda cucurrit  
largior: internis etiam procul undique ab oris  
ales amica deo largum congescit amomum.  
extemplo Liber subnectit nebride pectus,  
effusasque comas hedera ligat, inde virentis 1120  
attollit thyrsos, et blandi luminis igne  
os hilarat, totaque celer diffunditur aethra.  
Sed propter Libanum terram sulcant Nabataei,  
Chaulasiique dehinc, Agraei rursus et inde



Hatramis est tellus: Macae vicina fluento 1125  
 Persidis accedunt: Rutili contermina ponti  
 Minaei Sabataeque tenent; super impiger ampla  
 aequora desulcat glebae ditis Cletavenus.  
 Plurima praeterea gens circumplectitur illic  
 oram Arabum, muta sed degunt agmina fama, 1130  
 et numerus cunctis inglorius: inde favoni  
 qua plaga fecundis alit almos flatibus agros,  
 barbara montivagos tellus extendit Erembas.  
 hi vitam duris agitant in cautibus omnem,  
 intectique artus erepunt ardua semper 1135  
 culmina saxorum: non ollis pabula in usum  
 terra parit: glebas abrodunt more ferarum  
 ieiunas herbae, nec amicas frugibus ullis.  
 Hinc ultra Libani rursum fastigia celsi,  
 lux Hyperionio qua se sustollit ab ortu, 1140  
 alterius Syriae limes iacet usque Sinopen  
 gurgitis attiguam; mediis hic impigra in arvis  
 Cappadocum gens est: propter freta turgida rursus  
 Assyrii iuxta sunt ostia Thermodontis,  
 et festina citis evolvitur unda fluentis. 1145  
 Nec procul, attollit qua se facis ardor eoae,  
 plurimus Euphratae manat liquor: iste feroci  
 fusus ab Armenia vastum caput exerit antro,  
 inque notum primae protenditur agmine molis;  
 at matutinos iterum conversus in axes, 1150  
 dividit inserto mediam Babylona fluento.  
 inde Teredoniae iuga propter maxima rupis  
 Persidis in pontum sparso cadit effluus amni.  
 Hunc super, in septem quantum via carpitur ortus  
 caespitis extenti spatii, citus aequora Tigris 1155  
 prona rotans, et saxa iugis avulsa supernis,  
 et totas late celeri trahit agmine silvas.  
 quin et vasta palus medio distenditur agro;  
 maximus hanc fluctu Tigris secat: intrat aperti  
 terga lacus, stupet unda silens, tacitaeque recumbunt 1160  
 aequora Thospitis; solidarum denique more  
 riparum stagni facies incisa quiescit,  
 invectumque sibi cohibens altrinsecus amnem  
 stat disclusa palus. sic Elidis incola pontum  
 dissicit Alpheus: pelago sic inserit undas 1165  
 illaesum optatae flumen ducens Arethusa.  
 ergo per et stagnum vehitur celer amnis apertum,  
 hoc elapsus item vim proni gurgitis urget.  
 non alium tantus rapit impetus; haud ita quisquam  
 spumescit fluctus, neque tantos ulla fragores 1170  
 unda ciet. medio quae tellus funditur agro,  
 hoc Interamnis nomen tenet; ut situs illam  
 flumine praecinctam gemino per aperta locavit.



panditur Hyrcanis hinc ianua; ianua Persis  
 hinc patet, imbriferum qua vergit mundus in austrum.  
 Ecce sub immenso portarum vertice Parthi 1225  
 rura tenent, curvi nequicquam vomeris usu  
 sollicitanda sibi; non ollis cura laborque,  
 aequora terrarum gravibus componere rastris:  
 exercent saevi se semper Martis in arma.  
 sica comes lateri est, manus autem hastilia vibrat, 1230  
 demittunt pharetras umeris et letifer arcus  
 semper inest laesae: neque per compendia diras  
 producunt animas; non puppibus aequora sulcant:  
 non proni gregibus pecoris fera vita iuvatur.  
 sed quatit alipedum sola semper cursus equorum, 1235  
 pulsaque terra gemit: discurrunt crebra per auras  
 spicula, missilibus late subtegitur aer.  
 Quin etiam post hos amor est si discere Persas  
 consimilis, solersque trahit te cura per orbem;  
 has quoque musa tibi formabit carmine terras, 1240  
 quae liquidos amnis via devehat, utque iugorum  
 consurgat vertex, quibus oris arva recumbant  
 barbara, famosum qui Persam roboret usus.  
 quippe Asianarum primi degunt regionum.  
 vita opulens genti, gazas quoque terra ministrat 1245  
 omnibus, et largum populis producit aevum.  
 dives in his mos est iam longi tempore saeculi,  
 ex quo Maeoniam bello trivere cruento.  
 illudunt auro vestes, et cuncta teguntur  
 auro membra viris, auro vestigia condunt: 1250  
 tantus Persarum dissolvit pectora luxus.  
 ipsa autem tellus inclusa est montibus altis,  
 undique in australem latus inclinatio axem,  
 ac boream longe, longe quoque Caspia claustra  
 deserit, atque noti placida perfunditur aura. 1255  
 istius at spatii finem dat Persicus aestus,  
 incoliturque solum populis tribus. una sub arcto  
 pars agit, armigeris nimium contermina Medis:  
 altera per mediae telluris terga vagatur:  
 porro ad flabra noti, pelagus prope, tertia degit. 1260  
 Persidis, et rigidas curvant labentia ripas.  
 arva secat Cyrus, perrumpit rura Coaspes,  
 Indica provolvens procul aequora: cuius ad undam  
 incola flaventem studio sectatur achatem.  
 nam cum brumali ceciderunt sidere nimbi, 1265  
 imbribus et caelo fuis furit auctior amnis,  
 eos lapides late flumen trahit: undique tellus  
 circumiecta dehinc laeti viret ubere campi.  
 Sed qua caeruleam sinus infert Persicus undam,  
 gens Carmanorum late colit: hanc facis ortus 1270  
 urit Phoebeae; tanto quoque funditur agro,

ut simul et glauci contingat gurgitis aestum,  
 et procul internae perreptet iugera terrae.  
 Hos super et tellus tendit Gedrosia glebam  
 Oceani vicina fretis; at flumen ad Indum 1275  
 Auroraeque latus Scytha miti proximus austro  
 accolit: australis certe Scytha dicitur iste:  
 namque alii dura pulsantur desuper arcto.  
 Indus Caesariae prorumpens rupis ab antro  
 adversum pelago Rubri procul aequoris amnem 1280  
 porrigit, inque notum recto fluit agmine aquarum.  
 ora dehinc Indo duo sunt, mediumque per agrum  
 insula se vasto fundit tergo Patalene.  
 innumeras idem dispescit flumine gentes,  
 Oritas Aribasque et veloces Arachotas, 1285  
 et Satram infidum, vel qui per inhospita late  
 discreti populis, discreti finibus agri  
 arva agitant, uno sed nomine sunt Arieni.  
 hi quamquam steriles decurrant semper harenas,  
 munera nec carpant cerealia, nec nova prelo 1290  
 musta premant, fulvo tamen invenere corallo  
 pandere vivendi commercia, quaerere pulchrae  
 Sapphiri latebras et praeduros adamantas.  
 Calliope, Indorum populos et regna canamus.  
 ultima terrarum tellus aspergitur Indi 1295  
 fluctibus Oceani; primam coquit hanc radiis sol,  
 sol Hyperionius, sol magni gratia mundi,  
 astrorum genitor, lucis sator et vigor aethrae.  
 sed genti Indorum taeter color: efflua semper  
 his coma liventes imitatur crine hyacinthos. 1300  
 terrarum in latebris excludant caute metalla:  
 pars telas statuunt, et vestimenta laborant  
 lintea: pars Indi procurat segmina dentis,  
 atque ebur invigilat: multi, qua flumina nimbis  
 Auget hiems, vastum ut late trahat agmen aquarum 1305  
 alveus, et celsas evincant aequora ripas,  
 palantes obeunt beryllum, prona fluenta  
 quem procul internis a finibus, aut adamantas  
 detulerint: his glauca dehinc tornatur iaspis.  
 nec minus et bacas alii prope marmora curvis 1310  
 excudunt conchis: pars rursum divite cura  
 herbosi lapidis venas fodit: hique rubore  
 suffusas blando quaerunt campis amethystos.  
 horum dives enim tellus est Indica semper,  
 et tali scrupo caespes tumet: omnibus autem 1315  
 fertilis irriguis crebro praelambitur ora:  
 extendunt celsi vaga late brachia luci,  
 et vernat nemorum semper coma. nunc tibi formam  
 terrarum expediam, nunc carmine flumina fabor,  
 nunc rigidos montes, nunc multae denique gentis 1320

absolvam populos. latera agris undique in Indis  
 quattuor esse tene: coeant tot et anguli ab omni  
 parte sibi, oblique claudentes extima terrae,  
 ceu species rhombo est. zephyri de partibus, Indus  
 gurgitis occurso fit certae terminus orae: 1325  
 axe noti, Rubri late salis obiacet unda:  
 flumen item Ganges fit limes caespiti eoo;  
 adque Lycaonia consurgit Caucasus arcto.  
 aequore qua fuso laticem provolvitur Indus,  
 Dardanidum gens est, ubi magnus sorbet Hydaspes 1330  
 delapsum summa saxorum mole Acesinen.  
 tertius amnis item secat agri proxima Cofes;  
 in medioque Sabae sunt caespite: gens quoque Sodri  
 propter agit; populique dehinc velut ordine facto  
 Peucaleum longas exercent vomere terras. 1335  
 Gargaridae rursum: gens haec obnoxia Baccho,  
 et glebam sulcant, et ritibus orgia ludunt.  
 Hic Hypanis lateque trahens vaga terga Cymander,  
 rupe procul fulvum provolvunt fluctibus aurum:  
 nec minus hi campos intrant Gangetidis orae, 1340  
 quae per flabra noti fuso distenditur agro,  
 usque in celsa iacens confinia Colidis arcis.  
 Colis et ipsa dehinc cetosi vergit in aequor  
 Oceani, tantoque iugo subit aetheris auras,  
 arceat alituum subducta ut rupe volatum. 1345  
 sed circum Gangem regio est devota Lyaeo,  
 perpetuique sacri talis narratur origo.  
 Indorum in populos fatalia Liber agebat  
 proelia: vipereo late Bellona flagello  
 increpat, et magno tremuerunt regna pavore, 1350  
 insistente deo. venit ergo ad flumina Gangis,  
 discursuque sacro praeludit proelia Liber.  
 Maenades extemplo maculosae nebridis usum  
 permutant clipeis, viridique hastilia thyrsos  
 succedunt; solvunt properantes linthea Bacchae 1355  
 vincula, viroso pectus vinxere dracone;  
 pro molli vitta prorepunt crine chelydri;  
 excitoque ferox persultat in agmine Mavors:  
 dux aquilas in bella rapit, tremunt Indica tellus  
 pressa pede, et toto tonuerunt classica caelo. 1360  
 ergo et Nysaeos discit gens rite recessus,  
 et stata sollicito deducunt orgia ritu.  
 ipse dehinc diros ut Liber perculit Indos,  
 Hemodi victor conscendit verticis arces,  
 effusamque solo gentem procul aspicit omnem: 1365  
 ima iugi extantis vestigia gurgite canent.  
 Oceani eoi praetento denique Bacchus  
 litore, et extrema terrarum victor in ora,  
 ducit laurigeros post Indica bella triumphos,

erigit et geminas telluris fine columnas, 1370  
invisitque dehinc Ismeni fluminis undam.

Has tantum gentes commendat fama per orbem.  
vile aliae vulgus, pecorum vice, terga pererrant  
caespitis abiecti: non his aut gloria forti 1375  
parta manu est, aut clara decus peperere metalla

terrarum venis: habitant ignota locorum  
semper inexpertes fama, per inhospita degunt  
arva procul, nullis sunt dignae denique musis.  
at tu, Phoebe pater, vos clari turba, camenae,  
nominis, Aonio famam inspirate labori. 1380